

GRAVI NOS LUCTU ADFECIT NUNTIUS DE MORTE
VIRI LINGVAE LATINAE INTER PAUCOS PERITI
RERUM ROMANARUM STUDIOSSIMI
MIRA HUMANITATE BENEVOLENTIAQUE PRAEDITI

ECCE CRACOVIAE DIE XI MENSIS SEPTEMBRIS ANNO MMXXI
VITA FUNCTUS EST

IOSEPHUS KORPANTY

ACADEMIAE POLONAE LITTERARUM ET SCIENTIARUM SOCIUS ACTIVUS
SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM TOT PER ANNOS SODALIS

QUI EADEM IN URBE ANTE HOS LXXX ANNOS NATUS
IN CELEBERRIMA ILLA UNIVERSITATE IAGELLONICA CRACOVIENSI
PRIMUM LITTERIS GRAECIS LATINISQUE EST IMBUTUS
DEINDE DOCTORIS LAUREAM OBTINUIT
MOX PROFESSORIS MUNIA SEDULO OBIIT
INSTITUTUMQUE PHILOLOGIAE CLASSICAE DIU REXIT

QUI IN SCRIPTORUM ROMANORUM, LUCRETII IMPRIMIS
SALLUSTIQUE AC VERGILII, OPERIBUS INTELLIGENDIS CALLIDUS
NOTIONUM AD ROMANORUM REM PUBLICAM PERTINENTIUM
NEC NON ET ARTIS ILLIUS AB AUCTORIBUS LATINIS EXCULTAE
QUAE IN SONIS CERTUM AD MODUM ITERANDIS VERSATUR
INVESTIGATOR SUBTILIS EXTITIT

QUI DUORUM VOLUMINUM LEXICON LATINO-POLONUM
MAGNA EX PARTE A SEMET COMPOSITUM
SINGULARI INDUSTRIA IN LUCEM PROTULIT

EGREGIA EIUS ERGA DOCTRINAS MERITA SUSPICIENTES
HOMINEM VERE HUMANISSIMUM
PIA PROSEQUIMUR MEMORIA

*SOCIETATIS PHILOLOGAE POLONORUM PRAESIDES
COMMENTARIORUM Q.I. "EOS" EDITORES*